

duas columnas probe exaratus, rubricisque distinctus continet: I. *Conradi de Halberstadt O. P. Trivium* initio ita mutilum, ut Literis A et B integre deperditis Litera C primum ab Articulo *Cor* ordiatur. Aliud hujus Operis moralis alphabetici Exemplum dedimus *Cod. DCCLVI.* pariter imperfectum. Cum vero in illo *Pars I.* usque ad Literam D progrediatur, *Pars II.* tota desit, praesens autem *Partem I.* in Litera C auspicietur *Partibus II.* et III. integris, vides e conjunctione illius et hujus *Codicis* Opus perfectum consurgere. Dixi de *EO*, ejusque Autore ad *Cod. cit.* Hic addo, utriusque *Codicis* nostri a *Cl. Gentiloto* indicium factum *R. P. Jac. Echaro*, ut prodit ejus *Appendix T. II. Scriptorum O. P.* p. 820. Clausula Librarii nostri: *Explicit 3. pars triuij Editi a reuerendo Patre fratre Chunrado de Halberstade ordinis fratrum predicatorum. Amen. amen. dicant omnia.*

II. *fol. 115.* *Collectanea* maximam partem *Mythica* et *Historica*, sed ad significationem moralem obtorto saepe collo adtracta, quorum *Pars prior* e *Fab. Planc. Fulgentii Mythologiis* petita est, ita, ut *fol. 127.* legas: *Expliciunt ymagines secundum fulgentium; altera* ut plurimum e *Moralitatibus Rob. Holkot O. P. Northampton.* Angli in solo natali a. 1349. defuncti, quarum Editio *Veneta 1514.* 8. mihi objacet. Verum hi duo Fontes *Collectionem* nostram non exhau-

riunt; multa enim praeterea ex *Ouidio, Valerio Max. Boethio, Seneca, Aristotele, Plinio, Historia Barlaam et Gestis Alexandri moralizantur*, cumque *fol. 166. p. 2.* occurrant etiam *Septem illa Aenigmata Pythagorae* tributa *Aristoteli*, ut *Cod. DCCLVI.* vehementer suspicor, haec quoque *Collectanea* ad *Conradum Halberstad.* pertinere, esseque Partem Ejus *Tripertiti Moralium Alphabeti* nexu solutam. Scriptorem *Germanum* fuisse testatur *Locus brevis fol. 728. Die vnnuczichait deines leipleichen geschefftes macht dier ein armuet meiner genaden &c.* et *Librarium* insigniter rudem probat *Tullius Machadomius* pro *Tullius in academicis. fol. 134. p. 2.*

DLXXI.

Codex chartaceus germ. Sec. 236 XV. Folior. nunc 160. f. per duas columnas scriptus et rubricis distinctus continet: I. *Ottonis Passaviensis O. M. Lectoris Conventus Basileensis Seculo XIV.* cujus ne quidem *Waddingus* in *Scriptt. O. M.* meminit, Opus grande Asceticum dictum: *Viginti quatuor Seniores*, aut *Thronus Aureus*, quod *Antonius Sorg Augustae 1480. et 1483. f.* prelo subjecit, cujus itidem in linguam *Belgicam* versi editiones *Ultrajecti 1480 et 1489. Harlemi 1484. et Zwollis 1485. f.* memorari video. Initium in *Cod.* ducitur a *Summariis*, quibus exhibetur, quid quivis *XXIV. Seniorum*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 3065

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

2165

A S C R E T I C I.

2166

rum Apocalypticorum Animam Dei amantem doceat, sed avulsa sunt prima fortasse duo aut tria folia. *Summaria* excipit *Praefatio*: *Sanctus Johannes evangelista der sach in dem püch der taugen* (editio *Sorgii* 1480. errore librarii ex *taugen*, quod *Mysteria* s. Apocalypsin notat, *Künigen* fecit) *In dem Hymel sitzen den Herren Hymelreichs vnd erdreichs — vnd stunden vor Im vier vnd czwainczigk alten in weis chlaidet &c.* Vides, quid Titulo libri causam dederit. Sub finem *Praef.* rogantur Lectores: *Das sy aines diemütigens Brueders Otten von Passaw Sand Francziscen ordens gedenckeben in irer andacht Der dicz puech mit grossem fleiss vnd arbaitt ze sammen gefueget hat.* *Praefatio*, ut in edit. *suprac.* legitur, plura hic supplet; addit enim: *willent* (weiland) *lese mayster* (lector) *czu Basel, der dis buch — volbracht hat an der heiligen bimel fürstin abent Marien der liechtmessen Des jares do man zalte von Ihesu christi gepurt. M. CCC. LXXXVI. jare.* Opus porro ipsum sic inscribitur: *Hye hebt sich an der erst alte des puechs genant dy XXIIII alten oder von dem guldein Throne.* Et incipit: *Der erst alt weist dich liebe sel auff dich selber &c.* Elocutio passim ab editis variat, quae ex. causa pro *liebe*, *liebende* semper habent *minnende*, *gemynnete* &c. Ultima sunt: *Das dir der thron werde in der Hochsten Womungen Amen.* Et additur: *Gedankcht Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

sey got Das dicz puech volbracht ist Anno &c. 63. Sabbatho die ante Letare. Cultum superstitiosum Seniorum Apocalypticorum invaluisse per *Germaniam* notavimus ad *Cod. DCVI.* Quid si Autor noster isthoc suo Opere innocenter huic cultui ansam praebuisset, hominibus crudis et simplicibus ea ad literam exigentibus, quae ille ἀλλυγοζουμένα scripsit?

II. *fol. 151.* Exegetis germanica in *Passionem D. N. J. C.* quae inscribitur: *Hye hebt sich an ein gar hufschber vnd andachtiger passion von dem leiden christi ihesu in illud Gen. XXII. Extenditque manum suam &c.* *Das puch der geschoppung am XXII. capitel sprichtt also. Er rackcht aus sein Hannt vnd zukcht aus das swert das er ophert seinen sunen &c.* Deficit jam in expositione textus: *Veruntamen vae illi homini per quem tradetur. Luc. c. 22.*

DLXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. 283 XV. Folior. 329. f. per duas columnas a diversis exaratus, rubricisque distinctus, hanc notam praefert: *Hunc librum liberali donatione dedit pro libraria domus Collegij ducalis Clarissimus simulque doctissimus vir magister Rupertus Weissenburger ex pruck (ad fl. Leitam) In sacra Theologia professor fundatissimus preterea ecclesie sancti stephani wienne canonicus predignus, cuius anima*
P p p deo